



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Censuris, In Qua Sex Disputationibus De Poenis Ecclesiasticis, deque  
Irregularitate fusè tractatur, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

VII. Quam ob causam censura ferenda est.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76667)

Secundam partem probat mihi usus, & consuetudo satis recepta, nunquam ferendi censuram directe contra impuberes. Notanter dixi directe, nam indirecte, & consequenter non est dubium, impuberes censura ligari, vt contingit interdicto generali populi, quo impuberes vsu rationis habentes comprehenduntur.

3. Quamobrem debet esse subditus ferentis censuram, aliis censura ab ipso lata ligari non poterit: non enim superior suam iurisdictionem, & superioritatem in alium quem in sibi subditum exercere valet, vt est manifestum, & colligitur ex cap. a nobis 1. de sententia excommunicata. & cap. cum inferior 16. de maiori. & obediens. & tradunt omnes. Ex qua doctrina fit Pontificem nullatenus ligari censura posse, quia superiorem in terris non habet. Leges namque ab ipso latae comparatione ipsius vim coercitivam non habent, quippe nullus sibi metipsum imponere potest. Extra Pontificem omnes alii fideles rationis vsu habentes ligari censura possunt, saltem comparatione Pontificis, quia Pontifici subditi sunt. Rex vero, & Imperator ob eorum suzereniam dignitatem eximuntur a iurisdictione Episcopii, ne possint vlla censura ab ipsis lata ligari, vt dixit Siluest. verbo excommunicatio. num. 10. Stephan. Daulla pluribus relatis 2. p. de censur. cap. 4. disp. vn. dub. 4. Episcopi generali iuris constitutione tenentur, vel mandato non ligantur, nisi de illis fiat expressa mentio, iuxta textum in exp. Quia vericulosum de sententia excommunicata. i. 6. quod solum de suspensione, & interdico loquitur, non de excommunicatione, vt aduertit Sit. r. disp. 5. s. 7. n. 3. Deinde Concilium provinciale, & generale, & quilibet alia communis ligari potest censuris suspensionis, & interdici, vt ipse que non ex gunt culpam in omnibus, sed in odium delinquentium innocentes suspendantur, vel interdiciuntur. Secus vero in censura excommunicationis vt ipse grauiori, & directe priuatiua vsu spiritualium bonorum ex cap. Romana de sententia excommunicata. in 6. Quocirca vt excommunicatio validus fructus, debet nocentes communitatis cognosci, & aduersus illorum tantum sigillatim promulgari, vt docuit Nauarr. dicto cap. 17. n. 1. Aulla tu. 6. & alij apud ipsos. Neque his obest, quod censura feratur aduersus quicumque qui ex hac communitate delinquit, vel delictum commisit, non satisfecerit, quia ex ipso delicto determinatur persona censura liganda.

4. Controversia autem grauis est, an omnes existentes in Diocesi censura à Diocesano lata ligentur, & e contra, an existentes extra Diocesim censura suae Diocesis afficiantur? Sed hanc difficultatem resoluit tract. 3. de legib. disp. 1. pun. 2. §. 3. 4. & 5. ibi enim enumerat qualiter teneantur peregrini legibus, & preceptis loci qua transiunt, qualiterque ligentur legibus, & preceptis sui domiciliij, penitusque precepto, & legibus annexis affici possunt. Neque occurrit aliquid noui addendum.

5. Superest dicendum, an possit quis duplici censura eiusdem rationis ligari, duplici inquam excommunicatione, suspensione, vel interdico? Ratio dubitandi est, quia priuatio non suscipit magis, & minus, cum igitur quilibet ex his censuris sit priuatio spiritualium bonorum, nequit postea vna censura alia eiusdem rationis succedere. Est confirmatio, duae priuationes eiusdem numero forme esse nequeunt in eodem subiecto. Ergo nec duae excommunicationes, nec duae suspensiones, aliis essent duae priuationes formales eiusdem numero formae.

Nihilominus communis est sententia propter diuersas causas posse aliquem duobus censuris eiusdem rationis ligari vt docuit Siluest. excommunicatio. 1. n. 10. Sotus in 4. d. 22. ar. 2. concl. 3. Conarr. in cap. alma. 1. p. §. 11. num. 13. Suar. de censur. c. 1. disp. 5. s. 7. §. 3. Vgolin. cap. 1. de censur. cap. 15. §. 3. Molina tract. 3. disp. 41. num. 3. ex 7. Nicolatus Garcia 8. p. de benefice c. 3. num. 86. Et colligitur ex variis textibus. Nam Clement. 2. de sententia excommunicata excommunicatur qui contra priorem excommunicationem, & denunciationem procedebat, scilicet licet assensendo. Et cap. cum pro causa de sen. entia excommunicata declaratur duplici censura innotatum esse, qui violentas manus in clericum iniicit, & Ecclesiae immunitatem violauit, duplicique abolutione indigere, vel vna vtramque causam respiciendo, vt notat ibi Abbas, & Doctores communiter. Idem proceditur ex cap. sibi de sententia excommunicata. & cap. Capitulum sacre Crucis de rescriptis. Cap. Engeltrudam. 2. q. 4. cap. in quorundam de iudic. c. 1. Ratio, quia excommunicatio, & quilibet alia censura non tam est priuatio, quam vinculum mortale causans priuationem: atqui vinculum morale multiplicari potest, tamen priuatio non multiplicatur, vt manifeste patet in peccatis mortalibus, quorum quodlibet ita priuat hominem gratia, vt etiam aliud quantum ex se est priuat. Quare si directe vnum peccatum remitteretur non conferendo gratiam aliud remittitur non esse, sed adhuc homo gratia priuatus maneret. sic in presentia dicendum est. Fatetur namque priuationem in se non suscipere magis, & minus; bene tamen in ordine ad causam, vt patet in supradicto exemplo de peccatis. Et in naturalibus est res manifesta. Cubiculum in quo priuari luce potest ex multiplice ratione impediendo, tamen vnica lucis priuatio existit. Sic homo multiplici censura eiusdem rationis priuari potest bonis Ecclesiae, tamen vnica priuatio habet, quia censura non est formaliter priuatio, sed priuationis causa.

6. Adde non solum ob diuersas causas, sed etiam ob eandem re posse duplici censura eiusdem rationis ligari, si à diuersis iudicibus à iure, vel ab homine lata sit, adstetque respectu cuiuscunque iudicis specialis contumacia, & inobedientia, sicuti docuit Abbas in cap. grauem. num. 5. de sententia excommunicata. Suar. d. disp. 5. s. 7. num. 1. Nam esto ibi fit eadem causa materialis, est tamen diuersa causa formalis, scilicet, diuersa contumacia, & inobedientia. Verum quando ob contumaciam aggrauantur censura ab eodem iudice procedente inquam ad denunciationem, & anathema, diuersa censura non ligatur, neque duplici abolutione indiges, vt aduertit Suar. supra, n. 18. quamuis ante denunciationem excommunicatio referuata non esset, quae post denunciationem referuata est.

Quinimo existimo, quotiescunque transgressiones eiusdem censuræ multiplicentur, toties censuras multiplicari. Vnde si modò percutias clericum, & deinde alium duplici excommunicatione innotaris, quia duplicem causam, quibus est annexa censura apertius, & tradit Suar. disp. 5. s. 7. §. 3.

PUNCTVM VII.

Quam ob causam censura ferenda est.

- 1 Pro culpa ferenda est censura.
- 2 Pro culpa veniali, nec excommunicatio, nec suspensio, neque interdictionum ferri potest, vt communiter feruntur.
- 3 Aliqui censuri peccatum mortale sufficere, si interius consummatur.
- 4 Verius est requiri exterius esse consummatum.
- 5 Satis est oppositis fundam.
- 6 Non solum debet esse peccatum mortale externum, sed specialiter ab Ecclesia prohibitorium.
- 7 Quinimo debet esse prohibitum sub comminatione censuram incurrendam.
- 8 Non potest ferri pro peccato praterito in eius punitionem.
- 9 Proponuntur obiectiones, & soluentur.
- 10 Peccatum ob quod censura contrahitur debet esse completum secundum proprietatem verborum.
- 11 Aliquibus placet censuram impositionem contra facientes, seu committentes delictum comprehendere mandantem, & consensientem.
- 12 Verius est oppositum.
- 13 Temperatur doctrina, ne procedat, cum lex inutilis redderetur.
- 14 Satis est oppositis fundam.
- 15 Qualiter reuocato mandato, vel consilio incurras censuram contra mandantem, vel consensientem impositionem.
- 16 Delinquens aduersus preceptum sub censura impositionem, non duplex peccatum, sed vnum tantum committit.

1. Omnes conueniunt censuram infligi non posse nisi pro culpa; quia est pena medicinalis, quae necessario supponit culpam corrigendam. Est tamen notandum discrimen inter excommunicationem, suspensionem, & interdictionem, quod excommunicatio, quia est grauissima pena, nemini alteri à delinquente infligitur. Secus vero est in suspensione, & interdico, quae ultra nocentes innocentes ligant, vt citius nocentes respiciant, videntes sua causa innocentes grauari, sicuti notauit Couarruu. cap. alma mater. 1. p. §. 9. n. m. 3. Deinde haec culpa debet esse censurae proportionata, alia committeretur iniustitia, vt colligitur ex cap. sacris, De penis, in 6. ibi: iudex penam metietur ex culpa.

2. Dubitant tamen Doctores; an ob culpam venialem censura inferri possit? Et breuiter respondeo, neque excommunicationem maiorem, nec suspensionem, aut interdictionem prout communiter feruntur ob culpam venialem iniungi posse; quia sunt pena grauissima, ac proinde culpa leui improporcionata, vt tradunt ex omnium sententia Coninch. disp. 13. dub. 8. concl. 2. Suar. disp. 4. s. 7. 4. Sathel. lib. 5. moral. cap. 4. num. 5. Paul Layman. lib. 1. sum. tract. 5. cap. 5. Vazquez. 2. disp. 18 cap. 5. Galpar Hurtado tract. de censuris disp. 10. num. 43. & de excommunicatione maiori. Et idem ferme est de aliis censuris; colligitur aperte ex Trident. sess. 25. cap. 3. de reformat. Et ex cap. Nempe Episcoporum. Cap. nullus sacerdos. 11. quae. 3. & tradit vltra superius relatos Nauarr. cap. 27. num. 9. Couarruu. cap. alma mater. 1. p. §. 9. Aulla 2. p. de censur. cap. 5. disp. 1. dub. 2. Et licet in aliquibus textibus videatur ob causam leuem excommunicatio ferri, vt in cap. si quis. 23. dist. & aliis non est reputanda illa causa leuis absolute, nam vt recte explicat Coninch. disp. 13. dub. 8. concl. 2. causa quae per se spectata leuis est saepe ex circumstantiis grauis redditur. Ex quo fit manifeste quoties ex ignorantia, vel inaduerentia, vel alia de causa excusatur qui à grauitate culpa, cui excommunicatio, suspensio, vel interdictionem annexa sunt, excusari ab illis, incurrendis, vt bene aduertit Layman. d. cap. 4. num. 1.

Notanter dixi excommunicationem, suspensionem, & interdictionem prout frequenter feruntur non posse ob veniale peccatum.

peccatum iniungi; quia excommunicationem minorem latam à iure conueniunt ferre omnes doctores; vt *disput. sequenti* vidimus, ob peccatum veniale incurritur: esto videatur maximis bonis priuare scilicet Sacramento receptione; ac facillimo negotio tolli potest, cum quilibet sacerdos facultatem habeat ab ea absoluenti. Et idem est de hac excommunicatione minori, si ab homine generaliter iniungeretur, nec referuaretur, At dari potest aliqui suspensio, aliquodque interdictum personale purum à iudice generaliter latum nec referuatum minoribus commodis spiritualibus priuans, quam excommunicatio minor, & aequè facile absoluentum. Ergo potest ob culpam venialem iniungi, sicuti late explicat Gasp. Hurtado *de censur. di. fficuli. 10. num. 44. & 199.*

3. Sed an hoc peccatum mortale sufficiat, esse interius consummatum, vt censura ligari possit? discordant doctores. Nam Glossa *Clement. 1. de heretic. & alij* quos accurate recensent Sanchez *lib. 2. in de iur. cap. 8. num. 2.* Farinacius *de heres. quest. 1. & 2.* §. Barbosa *2. p. de iur. Episc. allegat. 40. à numer. 6.* affirmant, quia Ecclesia habet iurisdictionem in actus merè internos, cum eius potestas sit spiritualis. Ergo potest actus merè internos punire. Antecedens variis exemplis declaratur. Primò dispensat, ut tuncque votum purè mentale. Secundo absoluit à peccatis interius consummatum, eaque referuat. Tertio obligat ad actum fidei supernaturalem, quando res fidei proponit, aut de fide quis examinatur. Quarto: index obligatus defendere clericum à percussione si id noluit incidit in excommunicationem, canonis *qui fundente*. At hæc noli internum quid est. Quintò in *Clement. multorum de heretic. §. verum*, excommunicantur inquisitores qui odio, vel amore ducti aliquid contra sui muneris obligationem omittunt, vel faciunt. Ad idem referuntur excommunicationes late sub hac conditione, si quis præsumpserit, si quis ausu temerario, si quis dixerit, vel crederit, &c. que sunt conditiones, de quibus Ecclesia constare non potest, cum interius consummatur.

4. Sed contraria sententia, scilicet ad incurrendam censuram non sufficere actum purè internum verior multò est, vt probauit *Tract. 4. de sic. d. sp. 3. n. 3. in princ.* Et vltra Doctores ibi relos eos docent Nauarr. *cap. 23. numer. 38. & cap. 27. numer. 66.* Couarrua. *reg. peccatum. 2. p. num. 7.* Suar. plures referens *disp. 4. de censur. sct. 1.* Stephan. Dauila *1. p. dubi. 10.* Conine. *disp. 13. dubi. 8. conclus. 4. numer. 71.* Gaspar Hurtado *tract. de censur. di. fficuli. 11. numer. 49.* Valq. *1. 2. disput. 160.* Paulus Layman. *lib. 1. sum. tract. 5. 1. p. cap. 5. numer. 1.* colligiturque aperte ex *cap. cogitatio de penitent. disp. 1. l. 1.* cogitatio non meretur poenam lege civili cum suis terminis contenta est, vbi Glossa inquit, non meretur poenam ab homine, secus à Deo. Et *cap. de sum. n. a.* dicitur dationem procedentem ex animo simoniaci, si hic non prodatur exterius ab Ecclesia non puniri. Ratio videtur manifestam Ecclesia esse sensibilibus, & visibilibus, non igitur potestatem habere potest in id quod inuisibile. & insensibile est, quæ est peccatum interius consummatum. Et confirmo peccata interna, quæ exterius non produnt, Ecclesia non potest iudicare, vt pote quæ sibi ignota sunt, ergo neque de illis potest legem ferre. Nam vt inquit D. Thom. *1. 2. quest. 91. art. 4.* de his potest homo legem ferre, de quibus potest iudicare, & licet aliqua peccata, que in actum externum produnt ita sint occulta, vt Ecclesia non possit de ipsis sententiam specialem ferre; id tamen est per accidens: ex se enim manifesta sunt, iudicioque Ecclesie subiecta sicuti quidem sensibus hominum subiciuntur, ideoque Ecclesia ea per generalem sententiam puniat, tamen nominatim, & specialiter ea punire nequeat.

5. Fundamentum verò oppositæ sententiæ non viget. Admitto namque potestatem Ecclesie esse spiritualem, sed quia in hominibus inest qui corporales sunt, non extenditur ad res purè spirituales sed quatenus per corporales manifestantur. Secundo respondeo potestatem Ecclesie esse spiritualement non physicè, sed moraliter, hoc est esse spiritualement, quatenus res pertinentes ad spiritum, & animarum salutem spectat. Ex quo non inferitur respicere debere ea, quæ sunt physice spiritualia, vt sunt actus interni. Ad primam probationem antecedentis dico parentem irritare posse vota filiorum, & superiorum vota illorum, qui pleno iure sibi subduntur, quia si subditi superiori, & filij parenti subiciuntur, integrè, & perfectè, atque adeo quoad propriam voluntatem, & vim se obligandi, & ratione huius dominij vota irritari possunt. Verum hoc dominium non est sufficiens, vt pater filiis, & superior subditis præcipere actum purè internum possint, quin minus illud punire; quia ad obligationem præcepti, & poenæ requisitum est, vt aliquo modo actus sit illis cognoscibilis. Adde dispensationem, & irritationem non verè factam proprie circa actus internos, ipsi enim transferunt, sed circa obligationem moralem inde resultantem, & moraliter perseverantem, quam obligationem nunquam Ecclesia soluit quousque sibi manifestetur. Ad secundum absoluit Ecclesia à peccatis purè mentalibus, dummodo sibi sunt manifesta. Quando verò ea peccata referuat, non est quia iurisdictionem in ea exercet, sed potius iurisdictionem circa ipsa negat, sicuti poterat negare iurisdictionem in omnia peccata. Ad tertium, non

obligat Ecclesia ad actum fidei merè internum, sed hæc obligatio ex lege diuina, & naturali promouit proposita veritate credenda. Ad quantum non defendere clericum omnia est externa, & sensibus cognoscibilis. Ad quantum sententia exterior iniusta illorum inquisitorum, qui in ea profertur odio, vel amore ducti fuerunt, puniunt. Et licet illa praua intentione cognosci ab Ecclesia non possit, hoc non obest quin possit actum externum ei coniunctum punire; quia ea coniunctio solum est conditio ad actum externum puniendum, puniunt autem in eam conditionem non ferunt. Quod non est censuram ad actus interiores extendere, sed censuram in actus externos latam limitare, & coarctare. Poterat enim Ecclesia externum illum actum iniustitiam, quomodoconque fieret, punire. Quod verò illum non puniat, nisi quando coniunctus est cum praua intentione benignitas est, & limitatio iuxta potestatis, & rigoris. Ad vltimum respondeo illam particulam *vel*, si quis dixerit, vel crederit positam frequenter in decretis intelligendam esse copulatiuam: hoc est si quis dixerit, atque crederit. Si autem intelligatur disiunctiue præstat hunc sensum, Si quis dixerit verbis, vel crederit factis, vel rebus, aliisque signis in facie Ecclesie manifestis, & audientibus.

6. Porro non solum debet esse peccatum mortale exterium, sed necessarium est vt sit peccatum specialiter ab Ecclesia prohibitum, aliàs delinquens non esset Ecclesie contumax, & inobediens. Censuræ autem institutæ sunt ad medendam contumaciam, & inobedientiam Ecclesie, vt fatentur omnes. Ergo. Atque ita docent ex communi sententia Sotus *in 4. d. 22. quest. 1. art. 2. conclus. 4.* Nauarr. *cap. 27. numer. 9.* Suar. *disp. 1. sum. tract. 5. par. 1. cap. 5. numer. 2.* Stephan. Dauila *2. part. cap. 5. disp. 1. dub. 10.* Valq. *de excommunicat. dubi. 1.* Gaspar Hurtado *de censur. di. fficuli. 12. numer. 54.* Et colligitur aperte ex *cap. ex parte 4. de verborum significat. Et cap. 1. de sententia excommunicat. in 6.*

7. Quinimo existimo non solum debere esse peccatum mortale ab Ecclesia prohibitum sub comminatione censuræ incurrendæ, vt docuerunt Suar. Anila, & Gid. Paul. Layman. *loc. cit. & communiter Doctores.* Nam censura infligi non potest sine monitione, vt superius dictum est; aliàs non esset poena medicinalis, vt decidit *cap. 1. de sententia excommunicat. in 6.* Ergo infligi non potest, quin superior moneat de censurâ incurritur, ergo quin præceptum imponat sub comminatione censuræ.

8. Hinc colligitur censuram ferri non posse pro peccato præterito in eius punitionem, sed necessario ferendam esse pro peccato futuro præcauendo, vel in præteriti satisfactionem, vt docuit Nauarr. *cap. 17. numer. 9.* Vgolin. *de censur. tab. 1. cap. 5. §. Couarrua. in cap. alma 1. p. §. 9. numer. 4. & §. 10. num. 1. & sequ. Suar. disp. 4. sct. 5. Coninch. disp. 13. dub. 9. numer. 71.* Paul. Layman. *lib. 1. tract. 1. par. 1. cap. 5. numer. 3.* Et constat *dicto cap. 1. de sententia excommunicat. in 6.* Nam cum censurâ ex sua institutione habeat ex se medicinam præseruatam, & coercituum peccati, vt colligitur ex *10. lib. 5. & 6. decretalium. tit. de sententia excommunicat.* nequit pro peccato præterito iniungi. Nam illud, quatenus præteritum est, mederi non potest, sed punire.

9. Contrarium huius corollarij docuit Caietan. *2. 2. quest. 69. art. 2.* Almain. *de potestat. Ecclesie, cap. 10.* Cordoba *lib. 2. 99. quest. 27. §. sed ad exaltationem.* Mouentur ex variis rebus, in quibus videtur censura ferri pro peccato præterito. Primò ex *cap. quidam, §. quest. 1.* vbi Gregor. excommunicat libelli cuiusdam autorem, nisi se proderet, & malitiam fateretur, quæ libelli veritatem probaret, ad quod nulla ratione videbatur obligatus, ne se periculo vite exponeret. Secundo ex *cap. inter quæritas, 23. quest. 4.* vbi reprehendit idem Gregor. Episcopum quod quod in sua causa excommunicationis sententiam tulisset pro vindicanda iniuria sibi facta, quam sententiam non esse fuisse nullam. Tertio ex *cap. duo sunt 96. dist. 1.* vbi referunt Innocentium excommunicasse Arcadium, & Ambrosium Theodosium ob factum absolutè præteritum. Quarto ex *cap. Guilielmus 23. q. 4.* vbi Siluerius Papa anathematizauit eos, qui eum comprehenderunt, miserantque in exilium. Quinto ex *cap. illa quest. 1.* vbi Nicolaus Papa duos Episcopos abique villa prostrante excommunicat, quod Lothario in suis sceleribus fuerat.

Sed hæc parum videntur, vt à communi sententia recedant. Quare ad primam respondeo, Gregorium ibi non excommunicasse libelli autorem, nisi se proderet, sed vnum sanctissimum & charitatis sub excommunicatione interdixisse, donec se manifestaret, quia ad videbatur obligatus, etiam cum periculo vitæ, cum grauisima infamia interrogata aliter delicti non posset. Ad secundum, Episcopos ille non tulit sententiam excommunicationis pro iniuria sibi facta præcisè, sed vt sibi fieret copiosè satisfactio: reprehenditur tamen & merito à Pontifice, eo quod in propria causa per modum sententiæ, & vindictæ sententiam excommunicationis tulisset; est enim id alienum à Pastore Ecclesie, cui solum in defensionem propriam promittitur gladio excommunicationis. vt. Ad tertium Innocentius excommu-

excommunicavit Arcadium, & Ambrosius Theodosium nisi resipiscerent, & tanti facinoris satisfactionem exhibuerint, ideoque postea satisfactionem, statim fuerunt absolvi. Ad quartum Silueitius, non tam excommunicauit qui cum comprehendit, miseranteque in exilium, quam declarat esse excommunicatos. Vel dic excommunicasse, qui in exilio cum detinebant, vt constat ex ipso capite. Ad vltimum illi Episcopi non excommunicantur in illo textu, sed deponuntur ab officio sacerdotali; quod ob culpam prateritam fieri potest, eum deponitio censura non fit.

10. Deinde peccatum illud externum, ob quod censura contrahenda est, debet esse completum in suo genere secundum proprietatem verborum, quae in precepto, seu lege infligente censuram, continentur; quia leges penales strictae & proprie sumendae sunt. Vti ex communi docet Nauarr. lib. 5. conf. p. 1. de sententia excommunicat. conf. 3. num. 2. Suar. disp. 4. p. 1. c. 3. num. 7. Auila 1. part. de censur. dub. 11. & 2. part. cap. 5. disp. 3. num. 7. Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 2. num. 5. sub finem. Coninch. disp. 1. dub. 8. conel. 7. Colligiturque aperte ex cap. perperam iurisdictionis, de Elect. in 6. vbi dicitur eligentes indignum non incurtere iuris penas, nisi adeo in eo periterint, quod ex eorum votis communis electio subsequatur.

11. Hinc oritur questio; an censura imposita contra facientes, seu committentes aliquod delictum, comprehendat mandantes (seu consulentes committi) Aliquitus nempe Silueitio verbo excommunicatio 9. num. 79. & Roletta e. dem. 1. casu 43. num. 26. placet comprehendendi, quia mandans, seu consulens delictum absolute dici potest delictum committere, vt docent multi relati a Paciano tract. crimin. lib. 9. cap. 32. num. 1. num. esto illud physice non committat; committit tamen moraliter, & secundum communem estimationem. Et forte ob hanc causam in cap. mulieres de sententia excommunicat. deciditur mandantes clericum percute, eadem excommunicatione ligari, qua ligantur percutores in cap. si quis fundente 17. quae est. 4. & redditur ibi ratio. Cum is committat vere cuius auctoritate, & mandato delictum committi probatur. Et cap. nuper eodem tit. in vers. in prim. quidem ar. inquit textus cum facientem, & consulentem per pena contringat. Et regis damnum de Regul. iuris in 6. vbi is damnus datur, qui iubet damnum dari, & leg. nihil interest, si ad leg. Cornelianam de Sicariis. Nihil interest, ait textus, an quis occidat in causam mortis praebet. Et e. ita quo unquam de iudicis excommunicatur deferentes prohibita ad Sarracenos. Et e. significatione adom. ii. declarantur esse excommunicationem incurres, siue propria persona, siue per nuncios deferant. Denique in cap. perperam iurisdictionis de sententia excommunicat. excommunicantur participantes in crimine criminolo cum excommunicatione. At mandans, & consulens fieri delictum, cui est annexa excommunicatio participat in crimine, ob quod incurrit excommunicationem illud admittens; Ergo.

12. Nihilominus longe probabilis est, censuram latam aduersus committentem aliquod delictum non afficere mandantem, seu consulentem, nisi aliunde in lege, seu precepto exprimat. Sic docuit Silueit. sibi contrarius loquens de excommunicatione, verbo excommunicatio vlt. quae est. 4. articulo 3. Caiet. eadem quae post prima. Armilla num. 2. Tabiena s. casu 49. num. 26. Nauarr. cap. 27. num. 5. Medina lib. 1. sum. cap. 11. §. 2. in prim. Henric. ib. 13. de excommunicat. cap. 17. num. 2. & cap. 21. num. 1. Bartholom. de Lodesima de excommunicat. dub. 6. & generaliter de omnibus censuris id docent Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 19. num. 2. Arg. disp. 14. n. 188. Auila 2. part. cap. 5. disp. 1. dub. 1. Galpar Hurtado tract. de censuris. ff. de iust. 14. nu. 5. & illi Mouero; quia leges imponentes censuram, vt pote odiosae, & penales strictae sumendae sunt: at mandans & consulens delictum proprie, & in rigore dici nequit illud delictum facere, vt docet Bar. l. 1. §. si qui pro emptore. a. num. 56. ff. de Usurpationib. & molit. leg. sed si vnus §. seruus num. 2. ff. de iniuriis. Iason leg. si quis id. num. 16. ff. de iuris dict. om. iudic. Iulius Clarus lib. 5. p. 1. §. in quaest. 89. & alii plures quos refert, & sequitur Pacian. d. tract. crim. lib. 9. cap. 32. num. 2. Et coniungitur ex eo quod mandatum, & consilium praecedunt factum, & ad ipsum perpetrandum diriguntur, illi quoque sunt causa moralis. Non igitur sub facto comprehendit debentque ita vt diuersa, & distincta ponuntur in cap. si quis iudicem 50. dist. ideoque ius cum censuram proferre intendit non solum aduersus facientes, sed consulentes, seu mandantes id explicat, vt patet in cap. felix de Paus. in 6. & Clem. si quis suam. in 6. eodem tit. & ex pluribus excommunicationibus Bullae coena.

13. Temperat autem Sanch. d. disp. 48. num. 4. circa finem. Et Arg. d. disp. 14. dub. 15. num. 48. ne supradicta doctrina locum habeat, cum lex redderet ferme iniuriosae, & frustratoria, nisi mandantes comprehendere, quae fuit doctrina Glossae finalis cap. de iuribus in 6. Felini c. transt. num. vlt. vers. vlt. nota de constitutionib. Et aliorum, quos refert, & sequitur Couarru. 3. var. cap. 3. n. 9. colligiturque ex cap. si vnus de iuribus excommunicat. ar. in 6. vbi declaratur interdictum generale ciuitatis extendi ad suburbia, ne tenentia illa interdicti frustraretur; nam (vt inquit textus) licet praedicta suburbia videantur aliis iur.

forum ambitu terminari, hoc tamen casu ne vilipendi valeat sententia interdicti, expedit interpretationem fieri latiore. Et notandum est verbum interpretationem, quod indicat non nouam legem constitui, sed interpretationem fieri constituta.

14. Neque obstant opposita fundamenta: Fateor namque mandantem, & consulentem absolute dici delictum committere, sed non proprio, & rigoroso sensu; enim non moralem actionem, sed physicam requirit. Vti colligitur tum ex supradictis, tum ex cap. vi fama in fine de sententia excommunicat. ibi: cum hoc non ipsi, sed illi quorum auctoritate id faciunt facere videantur. Nam verbum videantur non proprietatem, sed fictionem importat iuxta Gloss. leg. Nemo §. ff. de restitutionib. in integrum, verbo pollicetur. Et ibi Bart. num. vnico Tum ex cap. 2. de clericis pugn. in duello, vbi pugil vere homicida dicitur, non autem mandans. Ad textum in c. mulieres respondeo mandantem vere committere in legem prohibentem perculsionem, non tamen vere percutere, ideoque sub lege stante censuram percussentibus non comprehendit. Vt vero comprehendatur, necessaria fuit noua illa lex, & decretum d. cap. Mulieres. Ad textum in cap. Nuper, die intelligendum esse non de eadem pena secundum proprietatem, sed secundum similitudinem, cum consentientes in legem vere delinquant. Eodem modo respondeo ad regis damnum. Et ad leg. nihil interest, fieri quidem delictum a mandante, vel consulente interpretatiue, & moraliter, & secundum communem estimationem, sed non physice, & proprie, vt latius dixit Pacian. tract. crimin. lib. 9. cap. 32. num. 2. Ad textum in cap. a quorundam, in cap. significauit, respondeo excommunicationem latam aduersus deferentes arma Sarracenis extendi ad eos qui per interpositas personas ea arma defererint: non quia idem sit deferre per se, vel per interpositam personam, vt bene aduertit Nauarr. c. 27. num. 51. sed ne lex penalis frustratoria redderetur, ob quam causam de vno casu ad alium extenditur, vt late probaui tractat. de legib. dispur. 5. pun. 3. in cap. nuper, & cap. si concubina, respondeo excommunicari participantes cum excommunicato postquam incidit in excommunicationem, & declaratus effectus qui cum illo ante excommunicationem incursum participarent.

15. Sed quid si mandatum, vel consilium reuocasti, antequam mandataris, vel consiliarius mandatum, vel consilium exequerentur, incurres in censuram latam aduersus mandantem, vel consulentem? Certum est, si mandatum, vel consilium reuocasti efficaciter, ita vt causa moralis operis prudenter praesumi non possint, te liberum esse a censura; quia in tantum mandatum, vel consilium pueniunt censura, quatenus in delictum influunt, illiusque sunt causa. Econtra vero, si mandatum, vel consilium sic reuocasti, censuram non effugis; quia vere in delictum influis, & illius est causa moralis, & in his ferre omnes Doctores conueniunt. Quocirca difficultas est; an incidas in censuram latam aduersus mandantem, vel consulentem, si reuocares mandatum, vel consilium quantum posses, cum tamen de facto non reuocetur, vel quia mandati, seu consilij reuocationem notam facere mandataris, seu consiliario non potuisti; vel quia rationes allatae ad reuocandum consilium inefficaces fuerunt? Affirmat Coninch. disp. 14. dub. 15. conclus. 3. num. 183. & alii relati a Suar. disp. 44. sec. 3. num. 7. Montentur, quia haec censurae late sunt aduersus eos, quorum consilio, vel mandato facinus est perpetratum, sicuti in praesenti coniungit. Neque obest quod mandati, vel consilij non permitteris; siquidem poenitentia efficaciam mandati, vel consilij non sustulit, alia mandans, vel consulens homicidium, ex quo mandato, vel consilio homicidium fieret, vitare irregularitatem, & obligationem restituendi, si ante factum poeniteret.

Sed rectius contrarium docuerunt Innocentius, in cap. mulieres de sententia ex omni. Tabiena excommunicatio §. casu 1. num. 1735. Stephan. Dauila 2. part. de censur. disp. 3. dub. 7. Galpar Hurtado de censuris diff. 1. §. num. 68. eo quod ea reuocatione, & poenitentia postea non causas culpabiliter opus medio mandato, & consilio dato, sed omnino inculpabiliter, cum culpa praeterita media poenitentia deleta sit. Ergo non incurris censuram, quae vt pote poenitentia medicinalis solum afficere potest actu delinquentes inobedientes, & rebelles, non vero eos qui ab inobedientia rebellionem, delicto que recesserunt. Secus vero est de poenitentia irregulari tatis, & de obligatione restituendi, quae ob delictum praeteritum actu innocentem efficere possunt.

16. Ad extremum aduertentem delinquentem aduersus praecipium sub censura impositum regulariter non duplex peccatum, sed vnum tantum committit, quale committeret, si res illa seclusa censura prohiberetur. v. g. prohibitum est furtum sub excommunicatione non ex alio morio quam iustitia; futaris; peccatum tantum iniustitiae committis, quia solum iniustitiam laedis. Nam est Ecclesiae inobedias; ea inobedientia non continet speciale malitiam, sed in iniustitia imbitur, vt docuit Cordob. in sum. quae est. 11. Stephan. Dauila 2. part. de censur. cap. 5. dispur. 1. dub. 11. Paul. Layman. lib. 1. sum. tractat. 5. part. 1. cap. 5. numer. 1. vers. nota Galpar Hurtado tract. de censur. diff. 17. num. 73.

